




3/2006

IDIBVS MARTIIS

MMVI



RVMOR VARIVS



TOMVS 28

FASC. 159



## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in aedibus, quibus nomen EDITIONS ECLECTICA est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	CHF	30.-
In ceteris terris	CHF	37.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Estelle (Stella) Gitta  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam: RVMOR VARIVS,  
C/o EDITIONS ECLECTICA Estelle Gitta  
Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex  
E-mail: [e.gitta@bluewin.ch](mailto:e.gitta@bluewin.ch)

[www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)

Institutum pecuniarium — Bankverbindung/institut bancaire:

Banque Cantonale de Genève, Quai de l'Île 17 — C. p. 2251 — 1211 Genève 2

Estelle Gitta, Societas Latina Helvetica,

Compte Z 3281.88.11

IBAN: CH18 0078 8000 Z328 1881 1 SWIFT: BCGEGHGX

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS ECLECTICA herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS ECLECTICA

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 200

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse	CHF	30.-
Ausland/Etranger	CHF	37.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich  
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Estelle Gitta  
Barbara Maier  
Martin Meier  
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa: Ulrich Aeschlimann

Grafik und Layout/graphisme et layout:  
Estelle Gitta

Druck/impression: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition  
RVMOR VARIVS,  
c/o EDITIONS ECLECTICA, Estelle Gitta  
Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex  
E-mail: [e.gitta@bluewin.ch](mailto:e.gitta@bluewin.ch)  
[www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)



Hans Bethge

# PRÆFATIO



Gustav Mahler

Amicae et amici nostri!

Anno 1907 auctor et poeta Theodiscus nomine Hans Bethge (1876-1946), homo doctus, qui linguis modernis et philosophiae studuerat, selectionem carminum publicavit, cui nomen 'Tibia Sinensis' ('Die chinesische Flöte'). Quo in libello carmina poetarum Sinensium tribus ex milibus annorum non exacte transtulit, sed in lingua Germanica imitando effigit.

Ex quibus melodiarum compositor celeberrimus Austriacus Gustav Mahler (1860-1911) sex carmina elegit, quae genialiter musicis modis ornavit. Quo in opere, cui titulus 'Cantus de telluris' (*Das Lied von der Erde*) magna orchestra symphonica et altista et tenorista cantores mirabilem musicam animas commoventem sonant.

Exemplum accipite primum horum carminum (secundum poetam Sinensem nomine Li-Tai-Po), quod in Latinum vertere conatus sum:

### **Cantus potorius de telluris miseria** **(Trinklied vom Jammer der Erde)**

Iam vinum in poculis aureis pellicit,  
sed nondum bibite! antea cantum vobis cantam!

Cantus de aegritudine  
cachinnans in animas vobis sonet.  
Cum aegritudo accedit,  
vasti animae horti iacent,  
marcescit et moritur gaudium, cantus.  
Tenebrica est vita, est mors!

Domine huius domus!  
Cella tua copiam vini aurei condit!  
Ecce, haec lyra mihi est!  
Lyra canere et pocula exhaurire,  
ea sunt res, quae congruunt inter se.




Poculum plenum vini ad tempus  
plus valet quam omnia regna huius terrae!  
Tenebrica est vita, est mors!

In aeternum caelum caeruleum lucet, et tellus  
diu constabit et efflorescet vere.  
Tu autem, homo, quamdiu vivis?

Non centum annos frui tibi licet  
omnibus vilibus putridis huius terrae!

Despicite! Lunae luce in sepulcris  
forma larvalis et horribilis sedet!  
Simus est! Audite, ut eius ululatus  
acute sonat in dulcem vitae odorem!

Nunc vinum sumite! Nunc est tempus, socii!  
Ebibite poculum aureum ad fundum!  
Tenebrica est vita, est mors!



Audite, cari legentes, si occasio vobis est, musicam miram a Gustavo  
Mahler ad hoc carmen compositam! Nunc vita gaudeatis sive vinum sive  
aquam sive sucum pomorum sive cerevisiam bibentes

Valete!

Daniel Weissmann


### **AD LITTERAM**

I initium facit. Lineae sequendae  
sunt usque ad litteram septimam  
decimam. Non licet ad eandem  
litteram iterum tendere.

Indicium: syllogismus

Estelle Gitta

2olitulo :oitrni :gonaitsnucln



## **Adoniorum tetrasticha novella**




### **Prae-postera vivendi ratio**

Qui leviora  
seria ducunt,  
hi graviora  
pleraque rident.

### **Vita magistra scholae**

Tempora perdis,  
sedule alumne:  
nulla dabuntur  
praemia gnavis.



### **Monita, quibus triginta abhinc annos femella dehortanda fuit, quae in philosophiae studia incubitura erat**



Ad famulatum  
apta videris;  
facta magistra,  
saepe noceris.

### **Vanitas vanitatum**

Ob levitatem  
ingeniorum  
saepe dolemus  
rebus ineptis.

Orestes Carbonero





## De Pythagorae vita (II)




At Diogenes quotidianam eius vivendi rationem exponens, refert illum omnes admonuisse, ut ambitionem gloriaeque cupidinem fugerent, quod his omnium maxime invidia conflaretur, vulgi colloquia atque commercia devitarent. Quin et exercitationes

matutinas domi proprie habebat, animum suum ad lyram componens et veteres quasdam Thaletis Paeanas accinens. Homeri quoque et Hesiodi carmina accinebat, quibus animus emolliri atque tranquillior reddi videbatur. Quin et saltationes quasdam saltitabat, quas agilitatem atque sanitatem corpori conciliare existimabat, nec deambulationes promiscue cum multis conficiebat, sed uno tantum vel altero comite in templis aut lucis seligens sibi loca ab omni strepitu remotissima et amoenissima.



Amicorum amantissimus erat, quippe qui primus pronuntiavit amicorum omnia esse communia et amicum esse alterum ipsum. Et dum quidem recte valerent, semper cum iis conversabatur; si quo corporis morbo laborarent, eos curabat; sin animo aegrotarent, solabatur, ut diximus, dolorem partim incantationibus magicisque carminibus, partim vero musica. Erant enim ei peculiariora quaedam carmina, quibus corporum morbis medebatur; quae cum accineret, aegros




pristinam sanitati restituebat. Erant etiam quibus doloris oblivionem inducebat et iram mitigabat et libidinem importunam eximebat.

Quod ad victum pertinet, prandium quidem eius favo aut melle constabat, cena vero



pane ex milio aut pulvere et coctis crudisque oleribus, rarissime autem carne ex victimis sacrificiorum neque ea promiscue ex quavis parte. Deorum penetralia subiturus ibique aliquamdiu commoraturus cibis famem sitimque arcantibus, ut plurimum utebatur. Et fami quidem arcendae componebat ex semine papaveris et sesamo ac cortice scillae probe lotae, donec a succo exteriori repurgaretur, ex floribus asphodelorum et solis malvae, ex polenta, hordeo atque cicere. Quae omnia aequali pondere minutim concisa Hymettio melle in massam redigebat. Contra sitim autem praeparabat ex semine cucumeris et uva passa pinguiori exemptis acinis et flore coriandri, item ex semine malvae et portulaca ac casei ramentis, ex polline farinae et pinguedine lactis; cuncta haec melle insulano inter se commiscebat.

Eam rationem Herculem a Cerere edoctum affirmabat, cum in Libyam aridam mitteretur, unde et corpus, quasi in quodam aequilibrio, habitum eundem constanter servabat; non ut modo sanum, modo aegrum: modo pingue et crassum, modo tenue et macilentum esset. Animi etiam similes semper mores ex vultu relucebant. Nec is voluptate largius diffundebatur, nec maerore contrahebatur neque unquam gaudio vel dolore occupatus apparuit. At nec ridentem illum vel flentem unquam quis vidit. Cumque diis sacrificaret non molesta et invidiosa profusione, sed farre et libo, item thure atque myrrha deos placabat, nequaquam vero animalibus, nisi forte gallis gallinaceis et porcellis tenellulis. Quin et bovem ex farina confectum, ut accuratiores affirmant, immolavit cum reperisset latus subtensum trianguli rectanguli lateribus continentibus aequivalere.



*Primum testimonium  
Babyloniense*

Quaecumque apud auditores disserebat, aut perspicua et copiosa oratione, aut obscure et per aenigmatum involucra praecipiebat. Duplex enim illi docendi modus erat: atque ex discipulis alii mathematici, alii vero auscultatores vocabantur. Mathematici quidem quotquot pleniorum atque elaboratam scientiae rationem percipiebant, auscultatores vero, qui summa tantum capita praeceptaque litterarum sine accuratiori enarra-



tionem audiebant. Praecipiebat autem de deorum quidem daemonumque atque heroum genere summa cum reverentia loquendum et quamoptime sentiendum, parentibus atque benefactoribus benevolentiam exhibendam; legibus obtemperandum; deos obiter non adorandos, nec nisi domo eo animo egressus accedas. Diis coelestibus imparia, terrestribus autem paria sacrificanda. Oppositarum enim potentiarum alteram quidem meliorem unitatem, lucem, dexterum, æquale, stabile et rectum appellabat; deteriore vero binarium, tenebras, sinistrum, inaequale, instabile et mobile.

Praeterea et haec praecipiebat plantam sativam atque fructifieram, tum et animalia hominum generi innoxia nec perdenda nec laedenda esse. Non solum pecuniarum, sed et sermonum depositum deponitori bona fide servandum tria constituenda genera rerum omni studio prosequendarum atque comparandarum. Primum quidem earum, quae gloriose atque honeste sunt; alterum vitae usui inservientium; tertium vero atque postremum rerum iucundarum sive coniunctarum cum voluptate. Voluptatem autem non plebeiam atque fascinantem, sed solidam gravemque atque omni crimine puram admittebat. Duplex enim voluptatum discrimen esse; quarum illam quae ventri et Veneris libidinibus opum profusione indulget, Syrenum homicidis cantionibus comparabat. Alteram vero quae in rebus honestis atque iustis et ad vitam necessariis consistit, eam pariter et in praesentiarum iucundam esse neque postmodum poenitentiam comitem habere. Hanc ille musarum cuidam concentui similem esse dicebat duorum temporum potissimum curam rationemque habendam monebat eius scilicet quo cubitum itur; et quo cubitu rursus surgitur. Utroque enim tempore cum animo perpendendum, et iam ante peracta, et mox peragenda, atque actorum quidem rationes unicuique a semetipso exigendas: futuris autem caute providendum. Ideoque unumquemque hos versus ante somnum sibi ipsi occinere voluit.

Rettulit Estelle Gitta


## Dirumpantur lapides Marmor, Stein und Eisen bricht



1. Tu ne pluvias fleveris, dam, dam, dam, dam.  
*Weine nicht, wenn der Regen fällt, dam, dam, dam, dam.*  
A me numquam desereris, dam, dam, dam, dam.  
*Es gibt einen, der zu dir hält, dam, dam, dam, dam.*

*Dirumpantur lapides, Marmor, Stein und Eisen bricht,  
nos at iungunt Veneres; aber unsere Liebe nicht.  
quae nos vere conserunt, Alles, alles geht vorbei,  
non praetereunt. doch wir sind uns treu.*

2. Tempore, quo non adero, dam, dam, dam, dam,  
*Kann ich einmal nicht bei dir sein, dam, dam, dam, dam,*  
tui semper meminero, dam, dam, dam, dam.  
*denk daran, du bist nicht allein, dam, dam, dam, dam*



*Dirumpantur lapides,  
nos at iungunt Veneres;  
quae nos vere conserunt,  
non praetereunt.*

3. Dono do tibi anulum, dam, dam, dam, dam,  
*Nimm den goldenen Ring von mir, dam, dam, dam, dam.*  
tristi tibi qui dicet tum, dam, dam, dam, dam:  
*Bist du traurig, dann sagt er dir, dam, dam, dam, dam:*

*Dirumpantur lapides,  
nos at iungunt Veneres;  
quae nos vere conserunt,  
non praetereunt.*

Hoc carmen annis sexagesimis saeculi praeteriti notissimum a Draffio Deutscher compositum Martinus Meier Latino sermone adaptare conatus est.

## Aenigma Einsteinianum solutum (RV 4/05)

		Color domus					Origo incolae					Potus praed.				
		flavus	caeruleus	ruber	viridis	albus	Danus	Anglus	Sueto	Germanus	Norvegus	thea	caffea	lac	aqua	cervisia
Numerus domus	I	+	-	-	-	-	-	-	-	-	+	-	-	-	+	-
	II	-	+	-	-	-	+	-	-	-	-	+	-	-	-	-
	III	-	-	+	-	-	-	+	-	-	-	-	-	+	-	-
	IV	-	-	-	+	-	-	-	+	-	-	-	+	-	-	-
	V	-	-	-	-	+	-	-	+	-	-	-	-	-	-	+
Bestia dom.	canis	-	-	-	-	+	-	-	+	-	-	-	-	-	-	+
	avis	-	-	+	-	-	-	+	-	-	-	-	-	+	-	-
	felis	+	-	-	-	-	-	-	-	+	-	-	-	-	+	-
	equus	-	+	-	-	-	+	-	-	-	-	+	-	-	-	-
	piscis	-	-	-	+	-	-	-	-	+	-	-	+	-	-	-
Cigaruli praed.	Dunhill	+	-	-	-	-	-	-	-	+	-	-	-	-	+	-
	Pall Mall	-	-	+	-	-	-	+	-	-	-	-	-	+	-	-
	Marlboro	-	+	-	-	-	+	-	-	-	-	+	-	-	-	-
	Whinfield	-	-	-	-	+	-	-	+	-	-	-	-	-	-	+
	Rothmanns	-	-	-	+	-	-	-	-	+	-	-	+	-	-	-
Potus praed.	thea	-	+	-	-	-	+	-	-	-	-	Repositus piscis in proverbium abiisse videtur, adversus eos, qui nihil servant in posterum.				
	caffea	-	-	-	+	-	-	-	-	+	-					
	lac	-	-	+	-	-	-	+	-	-	-					
	aqua	+	-	-	-	-	-	-	-	-	+					
	cervisia	-	-	-	-	+	-	-	+	-	-					
Origo incolae	Danus	-	+	-	-	-	Piscis nequam est, nisi recens. Dicitur autem peculiariter in hospitem, aut vulgarem amicum, qui primo quidem adventu non ingratus est, ceterum ante triduum exactum putet.									
	Anglus	-	-	+	-	-										
	Sueto	-	-	-	-	+										
	Germanus	-	-	-	+	-										
	Norvegus	+	-	-	-	-										



**“ Magis mutus quam piscis ”**

Nullus malus magnus piscis. Aenigma proverbiale dici solitum in homines praegrandi quidem corpore, ceterum ingenio nullo.

Piscis eget sale. De re absurda et incredibili.

Aut piscem olet, aut florem.

Dictum in eum, qui bene oleret, quod timallus piscis sit odore gratissimus, et aequae fragrans eiusdem nominis flos.

Aureo piscari hamo dicuntur, qui mediocris commodi cupiditate periculum adeunt, ut maximarum rerum faciant iacturam.

Pro perca scorpium. Ubi quis optima captans, pessima capit.

Cestreis ieiunat. De famelicis, et voracibus dici convenit.

Sacer piscis dicebatur, cui nemo nocebat, sed sui iuris erat.



*Piscator somniat aureum piscem*

Cigaruli praed.					Bestia dom.				
Dunhill	Pall Mall	Marlboro	Whinfield	Rothmanns	canis	avis	felis	equus	piscis
+	-	-	-	-	-	-	+	-	-
-	-	+	-	-	-	-	-	+	-
-	+	-	-	-	-	+	-	-	-
-	-	-	-	+	-	-	-	-	+
-	-	-	+	-	+	-	-	-	-
-	-	-	+	-	Germano piscis est Ursula Schwenk				
-	+	-	-	-					
+	-	-	-	-					
-	-	+	-	-					
-	-	-	-	+					

Thunnissare

Graeci transferunt pro stimulare, pungereque, vel quod hic piscis, quo sit palato gratior, pungi solet, vel quod ipse piscis adurat, pungatque contactu.

Piscis a capite primum incipit putere. Dictum in malos principes, quorum contagione reliquum vulgus inficitur.

In aere piscari, venari in mari. Dictum in eos, qui frustra quaerunt aliquid, ubi ne sperari quidem possit.

Ex opere Erasmi, cui titulus est *Adagia* excerpta proposuit Stella Gitta



## De sancta Leocadia Hispalensi virgine et martyre

Leocadia virgo similiter Hispalensis ex nobilissima vetustaque Toletana urbe oriunda, et ipsa eodem aevo sicut Eulalia, sua ardentissima fide atque insigni virtute de se temporaneis atque posteris laetum spectaculum praebuit: et ipsa perpulchrum fidei, et constantiae testimonium reliquit perenne: ob quod, ut in perpetuum usque, eius sanctitatis fulgidum nomen praecipua coruscatione deveniat, aliqua, licet pauca, hic memoriae gratia referre dignum duximus. Nam cum praedicaret atque confiteretur se christianissimam fore, a sacrilego praeside Datiano similiter ea in urbe comprehensa, mox in teterrimum carcerem coniecta et trusa est. Ubi cum dita eiusdem carceris custodia, diu macerata fuisset: Et ipsa tandem, cum audisset duos ac gravissimos, immanesque beatae Eulaliae virginis, ac reliquorum mar tyrum cruciatus et tormenta, genibus in terra positis, in oratione persistens, sie impollutum Christo reddidit spiritum, quinto videlicet idus Decembres: quo quidem die, eius anniversaria a fidelibus solenniter celebrantur, utpote quia integram deo eiusque filio domino nostro Iesu Christo seruavit fidem, cuius et nos fide, et charitatis perseverantia optamus participes esse.



De claris mulieribus 1497

Iacobus Philippus Bergomensis (1432-1520)

## Proverbia Hispanica

*Nunca los absentes se hallaron justos.*

Numquam absentes iusti reperti sunt.

\*

*Al que te puede tomar lo que tienes, dale lo que te pidiere.*

Ei, qui potest tibi eripere, quae habes, da ea, quae petit.

\*

*Los sermones largos antes mueven culos que corazones.*

Longae orationes potius culos quam mentes audientium movent.



*Si la piedra da en el cántaro, mal para el cántaro, y si el cántaro da en la piedra, mal para el cántaro.*

Lapis si ad urnam fictilem allidit, malum urnae, et urna si ad lapidem allidit, malum urnae.

\*

*El que algo debe, no reposa como quiere.*

Ille, qui aliquid debet, non requiescit, ut cupit.

\*\*\*

*Escupí al cielo y cayóme en la cara.*

Spuum in caelum, et id mihi in caput cecidit.

\*



*Pájaro viejo no entra en jaula.*

Avis vetus in caveam non intrat.

\*

*Nadie diga: de esta agua no beberé.*

Nemo dicat: de hac aqua non bibam.

\*

*Aramos, dijo la mosca, y estaba en cuerno del buey.*

Dixit musca, quae in cornibus bovis sedebat: "Aramus."

\*

*Hablando del rey de Roma, por la puerta asoma.*

Rex Romae, si de eo loqueris, per portam intrat.

\*

*Antes que te cases, mira lo que haces.*

Antequam uxorem ducis (vel viro nubis), considera, quae facis.

In Latinum vertit Daniel Weissmann



## Instrumenta ad vinum faciendum: De torcularare



Torcular machinam illam appellamus, quae premendis ac torquendis uvis apta et commoda est, ut deinde vinum eliciamus post primam tamen calcationem, quae pedibus in cuppa fieri solet, unde mustum elicitur. Tamque olivarum, quam fructuum aliorum, ex quibus vinum fit, francogallice appellatur *jus*.


Praela autem proprie dicuntur trabes in torculari, quibus uva calcata premitur. Unde etiam a premendo dicta atque hinc quidam sine diphthongo scribunt *les presses*. Praela item dicuntur (inquit Budaeus) instrumenta pressoria, quibus pannarii, chartarii et librorum impressores utuntur. Plinius lib. XII de chartis loquens: premuntur deinde praelis et siccantur in sole atque inter se plagulae iunguntur.



Cochlea in torculari lignum est erectum claviculatum, id est spiculatum (inquit Budaeus noster) et capreolatim strictum, quod per medium praelum, striatum et ipsum transactum, vertigine sua tollendo demittendoque praelo inventum

est. Vulgo vocatur *la vis du pressoir*. Unde et cochleae in aedificiis dictae, quae scalae cochlides etiam dicuntur. Itaque nostri etiam hodie cochleis in torcularibus utuntur, per quarum capreolatos anfractus attollitur demittiturque praelum aut rotae aut suctulae versatione.

Est autem suctula in torculari, tractorii generis machina. Constat ex tereti ligno duobus aut pluribus vectibus traiecto utrimque aequa extantibus longitudine. Haec dum versatur funis, qui ductarius appellatur *le cable à tirer*, circum eam obvolvitur, praela sursum ac deorsum adducens.



Vectes vero baculi sunt validi per mediam machinam traiecti, quibus manu ductis, machina dum versatur, funem ductarium advoluit. Ab his vectibus, vectarii dicti, qui vectes in torculari, versanda suctula, manu ducunt.

Trochlea totam illam machinationem significat, quae continet axiculum per rotulam traiectum in torcularibus antiquis circa quem rotula versatur; et praeterea ductarium funem continet, qui circa orbiculum aeneum currit, qualem in puteis videmus. Huiusmodi trochleae meminit Cato in instrumento torcularii in quo suctulas quinque, funes ductarios quinque, trochleas decem oportere esse tradit (*la poulie*). Lingula item Catoni capite XVIII lignum vel lapis concavus dicitur e quo vinum in lacum defluit. Colatorium nonnulli appellarunt.



Trapetum vero est area ipsa lignis compacta, circa quam vertitur ac circumagit mola in torculari oleario vel ipsa rota in vinario. Vulgus nostrum vocat *la mer*.

Rettulit Estelle Gitta

## Facete lepideque dicta Bernensia... (I)



...deprompta e libellis, quibus titulus *Ein Berner namens...* atque Latino sermone reddita, ut gaudeant lectrices lectoresque benevoli.

Laurentius Carolusque Bernenses postem humo illaturi sunt. Laurentius: "Tene, quaeso, postem, Carole, equidem malleo feriam." Cum autem prima secundaque plaga facta postis ne uno centimetro quidem in humum processisset, Carolus lente murmurans: "Si denuo caput meum malleo tractaveris, aegre ferre incipiam."





## Facete lepideque dicta Bernensia... (I)



...deprompta e libellis, quibus titulus *Ein Berner namens...* atque Latino sermone reddita, ut gaudeant lectrices lectoresque benevoli.

Laurentius Carolusque Bernenses postem humo illaturi sunt. Laurentius: "Tene, quaeso, postem, Carole, equidem malleo feriam." Cum autem prima secundaque plaga facta postis ne uno centimetro quidem in humum processisset, Carolus lente murmurans: "Si denuo caput meum malleo tractaveris, aegre ferre incipiam."



Aulum, piscatorem veterem, peregrini duo in lacus Dunensis<sup>1</sup> litore affati sunt verbis his: "Potesne, domine, nos photographare?" Aulus, postquam ei longe lateque explicaverunt, quo modo ei agendum esset, denique botonem premit.

Eodem autem temporis momento bucina navalis auditur. Aulus perterritus: "Quid hoc sibi vult - pro immortales? Utinam ne quid deleverim!"

Rauca voce hospes copae: "Istos cibos omnino comedere non possum. I, advoca patrum tuum!" Ad quae copa: "Hoc nil tibi proderit, domine. Neque is eos comedet."




Ioanni venditor autocinetorum: "Hoc autocinetum emas oportet. Quo enim si vectus hora quarta Berna profectus eris, iam hora quarta minuta tricesima Dunum<sup>1</sup> advenies." Ioannes autem: "Quae cum ita sint, autocinetum tuum nequaquam emam." Venditor miratus: "Cur, hercle, non emas?" - "Quid hora quarta minuta tricesima Duni faciam? Habito Guggisbergii<sup>2</sup>!"



Susannae et Georgio iam diu matrimonio iunctis lectus est, quem non nisi irati petunt, ut lectum communem effugiant. Olim

rixa atroci incohata Susanna veste dormitoria induta eundem lectum rixae, qui dicitur, conscendit. Paulo post Georgius eodem vadens "Fac locum", inquit, "ego quoque iratus sum!"



Sole vix orto die quodam Godefridulus Muriceps, qui, utrum specialiter stultus an specialiter callidus sit, nescitur, iuxta stagnum siphonarium, quo nulli insunt pisces, piscatur. Magister forte praeteriens ludibrio motus ex eo quaerit: "Nonne piscaris, Godefridule mi? Quot iam cepisti?" Cui Godefridulus cito: "Tu iam septimus es."

Ablantiensis<sup>3</sup> quidam nomine Ervinus per totam vitam servus rusticus laborans sexagenarius tantam pecuniam sibi acervaverat, ut tandem iter Parisinum, quod semper optaverat, suscipere posset. Ut iter Ablantio Lutetiam longum contorsumque est, ita Ervinus tamen bene itineratus denique ad penates regressus ab omnibus amicis interrogabatur: "Dic nobis, Ervine, placuitne tibi Lutetia?" Ad quae servus senex: "Nescio, quid dicam, amici. Lutetia urbs pulchra quidem est, sed ab orbe culto longe remota."



**Gasparis Murtulae (ca. 1570-1624) neniae tres soporiferae, quas proposuit Theodericus Sacré (II)**

*II. Romuli et Remi historiam per modum fabellae narrat suae infantulae<sup>1</sup>*

Lucillae<sup>2</sup> cantilla<sup>3</sup> aliquid, Cornelia, somnum quod<sup>4</sup> possit cunis conciliare suis. Nolo ut fabellam narres huic, blandula, vulpis quando loquebatur bellua quaeque simul. Nolo fabellam glirium<sup>5</sup> sex mensibus anni qui arboribus somno lumina clausa<sup>6</sup> tenent<sup>7</sup>.



5

Nolo fabellam cuculi<sup>8</sup>, Cornelia, nolo  
nec pariter catuli, nec minus ipsa catae<sup>9</sup>.

Sed volo fabellam puerum, quos Roma tuetur,  
quos lupa iam mammis nutriit alma suis.

Hanc igitur narra; hanc igitur, mi pupule, senti  
ac simul ad somnum lumina claude tua.

Romulus et Remus, gemini fraterculi et uno  
exorti partu, comparuere<sup>10</sup> simul,

ac simul incerto patre nati et matre<sup>11</sup> fuere,  
ac simul in silvis heu misere expositi.

Hos lupa, quae itabat<sup>12</sup> per devia rura lupatum<sup>13</sup>,  
invenit nudos conquerulosque<sup>14</sup> simul.

Et stupidis intenta oculis stupidoque palato  
illos non ausa est tangere pusiolos,

sed pia, sed facilis labris turgentia lacte  
ubera submovit continuoque aluit.

Ac illi interea suctabant<sup>15</sup> ubera lactis  
credebantque lupam nutriculam<sup>16</sup> esse suam:

illi blanditias faciebant, pupule, blandas,  
illi arridebant, quae lupa tristis erat.

Sed dum venator per silvam ingressus opacam  
ibat capturus cum canibus lepores,

lactantes pueros vidit tenerosque gemellos  
substitit admirans; ac simul abripuit

portavitque domum dicens: "Uxor mea, nescis,  
inveni geminos pusiolos lupulos."

Ille putans vere esse lupos cito laeta cucurrit;  
illeque pro lupulis obtulit hos pueros;

suscipiensque illos, illos miserata recepit  
in gremio lactans protinus inde suo.

Sic grandes facti et magnis virtutibus aucti  
moenia Romulidum composuere simul,

principiumque<sup>17</sup> Urbi immensum nomenque dedere  
genti, quae domina est, quae caput orbis adest.

Haec est fabella. Audistin? Nunc, pupula, dormi,



10

15



20

25



30



35

40

nunc oculos somno, pupula, conde tuos.

Non lupa lactavit te, non lupa perfida, non, non,  
sed nutrix, nutrix, o mea pupa bona;

sed nutrix ego, quae dulces tibi, pupula, mammas  
porrigo et ad libitum nudito<sup>18</sup>, pupa, tuum;

sed nutrix ego, quae nudam<sup>19</sup> te fascio bellis  
undique linteolis, undique fasciis;

sed nutrix ego, mellitas quae cantito nannas<sup>20</sup>,  
quae tibi dulciculas cantito naeniolas<sup>21</sup>;

sed nutrix ego, fabellas quae cantito bellas  
quaeve historiolas<sup>22</sup>, pupula bella, tibi.



45

50

<sup>1</sup> Murtola, *Naeniae*, pp. 205-207 (naenia 156 - fabella 1).

<sup>2</sup> *Lucillae scripsi* (agitur enim de infantula (cfr. titulus et vv. 41-52)): Lucillo ed.

<sup>3</sup> *Cantillare, altera syllaba producta* (verbum veteribus ignotum) = *cantilare* (altera syllaba correpta).

<sup>4</sup> *Quod haesitanter scripsi*: quo ed.

<sup>5</sup> *Glirium, admissa synizesi fecit disyllabam vocem* (natura enim est longa syllaba prior gliris) poeta, nisi eum fefellit quantitas syllabae eius (cfr. v. 24).

<sup>6</sup> *Clausa scripsi*: vita ed.

<sup>7</sup> Cfr. Murtola, *Naeniae*, pp. 234-235 (fabella 16 - naenia 170): *Fabellam glirium narrat suae infantulae et cur sic tota hieme obdormiscant*.

<sup>8</sup> *Cuculus habet alteram syllabam interdum correptam* (praesertim apud inferioris aetatis poetas), plerumque productam.

<sup>9</sup> *Cata, correpta syllaba priore* (nomen veteribus ignotum) = *catta*.

<sup>10</sup> *Comparuere scripsi* (etiamsi haud iure correpta videtur esse syllaba altera, at cfr. I, v. 28): *comparavere* ed.

<sup>11</sup> *Matre scripsi*: *matri* ed.

<sup>12</sup> *Itabat, producta syllaba prima, quae solet corripri*.

<sup>13</sup> Cfr. I, v. 23.

<sup>14</sup> *Conquerulus* (nomen veteribus ignotum) = *conquerens*.

<sup>15</sup> *Suctare* (verbum veteribus ignotum) = *sugere*.

<sup>16</sup> *Nutriculam scripsit correpta syllaba altera, quae solet produci*.

<sup>17</sup> *Principiumque scripsi*: *principuumque* ed.

<sup>18</sup> *Nuditare* (verbum veteribus ignotum) = *nudare*.

<sup>19</sup> *Nudam non scribere non potui*: *nudum* ed.

<sup>20</sup> *Nanna* (nomen veteribus ignotum; cfr. *Italice ninna nanna*) = *nenia* (*soporifera*).

<sup>21</sup> *Naeniola* (nomen veteribus ignotum) = *naenia*.


<sup>22</sup> *Historiolas, haud eleganter producta syllaba altera*.



**Europealia soluta**  
(RV 2/06)

Estelle Gitta

J  
E  
A  
N  
  
M  
O  
N  
N  
E  
T



1  
8  
8  
8  
1  
9  
7  
9



**LUDICRA CAELICOLUM OBLECTAMENTA**  
Pars quarta

**Embolium caeleste...**

- PLUTUS: At antiquiore Publiam optione elegisset, nisi divitias ei suas dura virgo denegavisset! Immo, si ad mulieres spectemus, te superatum esse liquet, quando ingentes opes amori incerto Publia procul dubio anteposuit!
- CUPIDO: Ast idcirco anteposuit, quod de amore incerto, vel potius nullo, agebatur! Longe alia sese ratione gessisset, si genuina ac sincera flamma flagrare iuveniculum animadvertisset!
- IUNO: (*exasperate indignabunda*): Ambo labra vos comprimere iubeo; quid apud Lucillam eventurum sit, perintente nunc consideremus.

**Scaena secunda: in Lucillae gurgustio**

- VALERIUS: Quinquaginta, mea lux, exacti mihi videntur esse anni, ex quo constituta hora ultimum convenimus!
- LUCILLA: Congressionum nostrarum raritatem et infrequentiam numquam vitio tibi ascripsi, quod plurimis te distineri negotiis, ut virum vere Romanum decet, haud ignoro.
- VALERIUS: Ullum vero diem hodierno candidiorem surrexisse, quamdiu vives, anima mea, firmissime negabis.
- LUCILLA: Noli suspensam me, obsecro, ulterius detinere. Nulla interposita mora, utrum laetatura an dolitura sim, fac ilico cognoscam.
- VALERIUS: Pro certo habeto haec momenta, quibus angore ac dubitatione excruciaris, magno mox gaudio remuneratum iri. Hoc unum queror, quod iniquo fato patre orbata es, quem convenientibus verbis exorem, ut uxorem te ducere sinar. Cum vero tui iuris quodammodo facta sis, ex te confidenter quaero nonne mihi nubere velis.



LUCILLA: Inconsideratae haud iniuria inhumanitatis accuser, si ruinae, qua familia mea obruta oppressaque est, virum nihil sane meritum participem esse cogam.

VALERIUS: Praeteritas commemoras calamitates, quarum vestigia temporis decursus serius ocus delebit...

LUCILLA: Istud ne fiat impensam egomet operam navabo. Quam pusilli enim animi filiam esse existimemus, quae sanctissimam patris memoriam ab oblivione vindicare non studeat? Quae cum ita sint, necesse erit maiestatis crimen, quo intrepidus convictus est quondam socer, in generum ipsum aliquando redundet: ut Catonis Porciam sibi desponderet, Brutus existeret oportuit!

VALERIUS: Numquam putaveram fore ut tanta fortitudine praeditam te praeberes. Ad dulciores delicatioresque animi sensus proclivis mihi, caeruleis ocellis tuis inhianti, saepius esse videbaris.

LUCILLA: Ignosce, quaeso, mihi, si debiliorem, quam conveniebat, memet ipsa interdum ostendi. Et puellam, quae infelicissimae vivendum esse sibi sine amore probe sciat, amoris frustula, ut ita dicam, ac miculas primoribus saltem labris libare iuvat.

VALERIUS: Non sum tam timidus, ut tibi adesse periclitanti recusem!

LUCILLA: Quasi satis non sit quod sine dote uxorem me accipere paratum te esse significavisti, hoc quoque nunc a te exigam, ut, in capitis discrimen, si fors ferat, perniciosae coniugis vitio adducaris?

VALERIUS: Utcumque se res habuerint, nemini licere arbitror de detrimentis queri, quae suo quisque consilio sibimet attulerit.

LUCILLA: Nullum sane dubium, quin aeternam fidem hoc temporis momento sincere pollicearis; quid vero futurum est, ubi ardoris flamma gradatim frigescere coeperit? Facere non poteris quin, tranquilliorum commodiorumque desiderio nuptiarum confectus, alieniore in invisam uxorem animo in singulos dies fias.

Orestes Carbonero

Pars ultima in proximo libello sequetur!

Subnoto RV, ut ipse accipiam  
(Ich abonniere RV für mich selber)

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius  
inscriptio cursualis supra indicata est  
(Ich abonniere RV als Geschenkabonne-  
ment für jemanden, dessen Adresse oben  
angegeben ist): -----

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-  
tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-  
mentsrechnung ist zu senden an):

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

Ort, Datum: \_\_\_\_\_

Unterschrift: \_\_\_\_\_

Hier bitte  
frankieren

RVMOR VARIVS  
C/o EDITIONS ECLECTICA  
Estelle GITTA  
Ch. F.-Lehmann 2  
1218 Grand-Saconnex





**PP/Journal**  
**1218 Le Grand-Saconnex**

**3/2006**

IDIBVS MARTIIS

MMVI



**RVMOR VARIVS**



TOMVS 28

FASC. 159